



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **R.P. Richardi Lyncei ... Vniversa Philosophia Scholastica**

Complectens Metaphysicam, id est, Scientiam de Ente incorporeo, seu  
transnaturali

**Lynch, Richard**

**Lvgdvni, 1654**

IV. Distinctionem virtualemente intrinsecam dari in rebus creatis ratione  
probatur.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95247](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95247)

quam rationalitatis talis, qualis est differentia specifica hominis, per accidensque sit ad eandem risibilitatem, si is adiunctam aliam simul perfectionem habeat, eodemque modo facultas sentiendi non aliam postulet quam animalitatis, hinc fit, ut illa promanare possit ab homine quatenus rationalis est, & non ut animal, & hac ab eadem ut animal est, non ut rationalis. Amicus tom. 1. disp. 3. sect. 7. vbi num. 125. ait compositionem metaphysicam confluere ex pluribus formalitatibus sese obiectiue perfecte excludentibus. Et numer. 127. gradus metaphysicos siue superiores & inferiores cuiusmodi sunt animalitas rationalitas, &c. vnam eandemque essentiam metaphysicè componere. Concluditque num. 143. in hac verba; quia animal perfecte prescindit à rationali non potest illud essentialiter includere.

35 Apertissime etiam propugnant nostram sententiam Coninch. disp. 3. de Trinitat. dub. 2. num. 14. ibi: Virtualiter distincta sunt, qua licet realiter sint idem, tamen habent conceptus formales ac obiectiuos his respondententes omnino distinctos, ita ut vnum non includatur in conceptu alterius: adeoque de vno potest aliquid verè affirmari quod de altero verè negatur, sic se habent personalitas & essentia. Et eodem dub. 20. ibi: Infero secundò cum Suarez supra. Eandem distinctionem reperiri etiam in rebus creatis, nam ha sunt absolute vera, homo intelligit per rationalitatem, & homo non intelligit per animalitatem. Item homo per rationalitatem differt à bruto, & per animalitatem non differt à bruto. Et ibidem paulò infra: Etsi Deo proprium sit propter eius infinitatem, quod eius essentia in se vna & omnino simplex realiter identificetur tribus personis realiter inter se distinctis, tamen ei cum creaturis commune est, quod in eo quadam reperiatur solum virtualiter distincta, quae possint esse subiecta contradictoriorum praedicatorum. Martinon disp. 17. de Sacram. sect. 1. num. 6. ibi: In hoc prescindendi & inadèquarè concipiendi modo, id quod non concipitur expressè quatenus tale, cognoscitur tantum identicè; hoc est, re ipsa idem est cum eo quod expressè cognoscitur; ipsum tamen non concipitur secundum propriam rationem ut talem qua differt virtualiter ab eo quod expressè cognoscitur, & secundum quam aptum est terminare alium conceptum dissimilem, quo ipsa exprimitur. Exempli gratia qui cognoscit Sacramentum ut sic, non cognoscit differentias Baptismi, & Eucharistiae, vel aliorum Sacramentorum ut tales. Et sect. 2. numer. 26. ibi: visio, qua simul est albi & nigri, minus est similis visioni albi solius, quam dua albi visiones sunt similes inter se, & quam esset ipsa nec si esset visio albi tantum: ergo est similis inequaliter. Vbi autem est minus & inequale est distinctio, & quantitas aliqua saltem virtualis. Ergo visio illa, qua simul est albi & nigri, habet quantitatem aliquam saltem virtuales, & quidem manifestum est illam visionem esse duplicem virtualiter, & aequalere duabus quarum vna sit albi solius, altera nigri solius. Et sect. 3. numer. 33. ibi: Respondeo sufficere ut sit aliud & aliud virtualiter ex parte obiecti, id est, sit obiectum capax ratione sua amplitudinis virtualis terminare conceptus diuersos inadèquarè expressiuos. Et quemadmodum in diuinis sufficit haec virtualis amplitudo & distinctio virtualis ex parte rei ut possit essentia communicari sine paternitate, & ut filius generetur per intellectum, non per voluntatem, seu per essentiam diuinam qua intellectiua est, non qua volitiua, sic, &c. Comptonus disputation. 24. logicae section. 2. vbi praecisiones obiectiuas adeoque aptitudinem ad praedicta contradictoria saltem extrinseca, & ex consequenti distinctionem virtuales admittit. Quamquam autem

sect. 4. num. 6. Neget gradus metaphysicos distinguere ante operationem intellectus, at loquitur de distinctione, qua sit actualis & vera, non de ea qua est virtualis, ac duntaxat secundum quid. Additque numero 7. felicem esse eorum industriam, qui conantur nostram in praesenti opinionem illustrare, qua, ut ipse existimat, nulla in toto cursu philosophico maiorem scholis lucem affert.

Tandem fauet Balthaf. Tellez prima parte summ. Philosoph. disp. 2. sect. 2. in eius epilogo, vbi post multa in utramque partem disputata, sententiam realium philosophorum praecisiones obiectiuas, & cum eis conjunctam distinctionem virtuales intrinsecam, siue aptitudinem ad praedicta contradictoria admittentem & propter antiquitatem, & propter auctoritatem esse satis veneratione dignam, ac Nominalium sententiae praehabendam iudicat: In eodem etiam iudicio sunt Rubius in cap. 1. Porphyrij, Vallius prima parte de vniuersalibus in communi q. 1. & nostrorum alij non pauci.

CAPVT IV.

Distinctionem virtuales extrinsecam dari in rebus creatis, ratione probatur.

37 Argumenta pro distinctione virtuali intrinseca in rebus creatis communiter fieri solita, partim sunt ea, quae pro distinctione ex natura rei Scotista concipiunt, partim etiam ea, quae pro praecisione obiectiua vnius formalitatis ab alia Thomista instaurant. Illa discussimus tractatu praecedenti, haec in Dial. lib. 8. tract. 5. à cap. 3. Quocirca impraeclarum propriis utemur argumentis: Quorum primum sit illud, cuius fundamenta aliqua iecit in actione, & passione Aristoteles, & B. Thomas initio capitis praecitati. Potest idem realiter actus esse amor vnius obiecti, & odium alterius: at in illo actu formalitas amoris à formalitate odij virtualiter distinguitur: ergo in rebus creatis, &c. Maior probatur primò, quia eodem realiter contritionis actu potest quis odio habere. Malitiam peccati propter diuinam bonitatem, ut Theologis solemne est: sed ille actus est amor diuinæ bonitatis, & odium malitiae peccati: igitur in eundem realiter actum conuenire possunt amor vnius obiecti, & odium alterius: Secundò, quia animalitas, & rationalitas realiter idem sunt, quantumuis ad diuersos effectus habitudinem, & ordinem importent: similiter ergo amor, & odium in eundem realiter actum coalescere poterunt, estò diuersa obiecta respiciant.

Quod autem hoc absque distinctione virtuali amoris, & odij non contingat, quodque minor argumenti nostri vera sit, facile probatur: namque, si non distinguerentur virtualiter in actu adducto amor, & odium, is quidem esset odium, non solum malitiae peccati, sed etiam diuinæ bonitatis, & amor, non solum diuinæ bonitatis, sed etiam malitiae peccati: Sequela in aperto est: quia eo ipso, quod amor, & odium in illo actu ne virtualiter distinguantur, non poterit actus ille esse amor alicuius obiecti, quin eius odium sit, aut odium alicuius obiecti, quin eiusdem amor sit; vel, quod perinde est, non poterit amare aliquod obiectum, quin illud odio, aut odisse aliquod obiectum, quin illud amore prosequatur: sic eo ipso, quod cognitio obiecti sit virtualiter indistincta à representatione, nequit actus intellectus esse cognitio alicuius obiecti, quin eiusdem representatio sit, illud cognoscere, & non representare, aut è contrario

contrario: sic eo ipso, quod amor sit prosecutio obiecti, non solum realiter, sed etiam virtualiter, nequit actus voluntatis esse amor alicuius obiecti, quin eiusdem prosecutio, & amplexus sit, illudve amare, & non amplecti, aut è diuerso: sic denum in aliis rebus communiter vsuuenit: ergo similiter in presenti, &c.

38 Confirmatur, & declaratur: actum aliquem amare obiectum nihil aliud est, quam ad illud, ut amor est, terminari, & contra, aliquem actum odisse obiectum, perinde est, atque ad illud, prout est odium, terminari: sed in opposita sententia actus contritionis adductus, ut amor est, terminatur ad vtrumuis obiectum, & ut odium etiam terminatur ad vtrumuis: ergo actus ille vtrumuis obiectum, videlicet, tam diuinam bonitatem, quam malitiam peccati simul amat, & odio prosequitur, quod contra hypothesim disputationis, & contra manifestam rationem militat. Major probatur, quia actionem agere aliquem effectum, vnionem vnire aliquod extremum, cognitionem cognoscere aliquod obiectum, & actionem, vnionem, cognitionem terminari prout tales, siue sub ratione talium ad terminos recensitos: actum ergo voluntatis amare obiectum est terminari ad illud sub ratione amoris, siue prout amor est; idemque similiter de odio dicendum est. Minor probatur, quoniam in opposita sententia virtualem abnuente distinctionem, actus ille, ut amor, nequit habere terminationem, quam non habet ut odium, aliàs fortiteretur à parte rei prædicatum aliquod, ut amor est; quod non fortitur, ut odium, & sic virtualiter esset distinctus, quia amor est à seipso, quia est odium: sed ut amor, seu sub ratione amoris terminatur ad diuinam bonitatem: ergo etiam ut odium ad illam terminabitur; & ut odium ad malitiam peccati: ergo etiam ut amor ad eandem, ac proinde actus ille, cum ut amor, tum ut odium ad vtrumuis obiectum terminabitur, quæ erat minor probanda.

39 Confirmatur secundo: si odium, ut odium est, ad nullum obiectum à parte rei terminaretur, nullum odisset: ergo si, ut odium, ad omne suum obiectum à parte rei terminatur, omne suum odierit obiectum: quando enim affirmatio est causa affirmationis, negatio est causa negationis, & è conuerso: at actus contritionis adductus, ut odium, ad omne suum terminatur obiectum: ergo omne suum obiectum odio habebit: assumptio ex superioribus constat, quoniam si, ut odium est, ad omne suum obiectum non terminaretur, sed ad aliquod, ut amor, & non ut odium, profectò hæc duæ rationes in illo virtualiter distinguerentur.

40 Confirmatur tertio: Non potest essentia diuina, ut essentia, siue sub ratione essentiæ à parte rei communicari Filio, non communicata ei Paternitate, ut Paternitas est, absque distinctione virtuali vtriusque, ut multi fatentur aduersariorum, utque omnibus fatendum esse, superius probauimus: ergo non potest actus contritionis, ut amor est, ac sub ratione amoris terminari ad Deum, non terminatus ad eundem, ut odium est, quin hoc ipso amor, & odium in illo virtualiter distinguantur.

41 Tandem confirmatur: nequit aliquis actus non tribuere subiecto, in quo recipitur omnem suum effectum formalem intrinsecum, si subiectum eius capax sit: similiter ergo nequit vllus actus non tribuere obiecto, ad quod terminatur omnem suum effectum formalem extrinsecum, si obiectum sit illius capax: at amor in actu contritionis virtualiter intrinsecè indistinctus ab odio peccati, ad peccatum,

non minus, quam odium terminatur, & peccatum est capax de se effectus formalis amari; ille igitur actus tribuit, non minus peccato quam Deo effectum illum formalem, adeoque peccatum, & Deum ex æquo amabit, & oderit. Primum confirmationis antecedens, ex quo reliqua ritè sequuntur, sponte sua perspicuum est: qui enim fieri potest, ut idem realiter actus respectu vnus obiecti amor, & intuitu alterius odium sit, & tamen voluntatem, in qua totus recipitur, intrinsecè amantem, & simul etiam odio habentem non denominet?

## CAPVT V.

*Nonnullæ instantiæ præcedentis argumenti refelluntur.*

42 Superiori simul vsus sum argumento, non pauca aduersus illud prodire Neotericorum instantiæ, non pauci ei adhibita solutiones: has sequenti, illas præsentem capite refellere est animus; tum, ut constet haud adeo elumbem esse rationem, quam tot arietes minime labefactant, tum etiam, ut obiter pateat, quænam inter formalitates creatas distinctio virtualis intercedat. Prima igitur aliorum instantiæ, eorumque iudicio manifesta sic se habet. Amor contritionis, & quidditas eius amoris, ne virtualiter distinguuntur: sicut ergo amor ille ad Deum terminatur, ita & eius quidditas: & tamen Deum quidditatiuè constitutum non denominat: quanquam ergo eiusmodi amor ad peccatum terminetur, non propterea illud amatum denominabit.

43 Respondeo, quemadmodum ad hoc, ut rei alicui effectus formalis, vel intrinsecus, vel extrinsecus conueniat, requiritur forma; & insuper subiectum capax, siue congruum, defectu cuius intellectio in lapide posita eum non redderet intelligentem, ita similiter requiritur ad quemlibet effectum formalem vnio, non quæcunque, sed congrua, & proportionata ad eum effectum formalem tribuendum, quo ex capite oritur, ut sanctitas infinita Verbi vnita humanitati eam non denominet simpliciter infinitè sanctam, sed potius minus sanctam, quam ipsum Verbum, quia nimirum ei non vnitur per identitatem, sed per vnionem informatiuam, cum tamen prior illa, non posterior vnio ad sanctificandum simpliciter infinitè necessaria sit. Porro triplex vnio est, alia identitatis, de qua iam iam: alia receptionis, vel informationis, cuiusmodi est vnio candoris cum pariete, alia terminationis, vel informationis extrinsecæ, qualis est vnio cognitionis cum obiecto: harumque aliarum ad aliquos, aliarum ad alios effectus formales, seu denominationes tribuendas requiruntur. Quæ cum ita sint, dicendum est, quidditatem amoris, siue contritionis ad Deum terminari extrinsecè, eique hoc vnionis genere, non verò per identitatem vniri: cum autem effectus formalis, siue denominatio quidditatiuè constituti postulet vnionem, non quamcumque, sed per identitatem mirandum non est, quòd quidditas contritionis, quantumlibet ad Deum terminata, eum quidditatiuè constitutum non denominet: hæc autem ratio non militat in euentu nostri argumenti, amor enim contritionis non potest non terminari extrinsecè ad peccatum, sicut odium, à quo ne virtualiter distinguitur; quid ergo ei deesse poterit ad peccatum amandum, eique non minus hanc denominationem, quam denominationem odio habiti tribuendam? adest enim forma, nempe amor: insuper subiectum capax denominationis amari, videlicet